



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 14. De scandalo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60495)

## DIES XIV.

## De scandalo.

## I.

**V**æ mundo à scandalis, inquit servator;  
*Væ homini, per quem scandalum venit!*  
**H**ac maledictione Christus impetit eos, qui  
 pernicioso exemplo proximum offendunt.  
 Quantum igitur scelus esse oportet, quod  
 Deus servator tam terribili supplicio pu-  
 nit? *qui scandalizaverit unum de pusillis istis,*  
*qui in me credunt, expedit ei, ut suspen-*  
*datur mola Asinaria in collo ejus, & demerga-*  
*tur in profundum maris.* Status hominis, qui  
 pravo alios offendit exemplo, funestissimus  
 sit; necesse est; quando quidem tam grave  
 supplicium, ipsius Christi iudicio, illi pro-  
 ficuum esse censeretur, idcirco, quòd eum  
 impediatur, quòd minùs is in posterum pra-  
 vo suo exemplo alijs nocere possit. In-  
 gens malum est oculo privari, & nihilo-  
 minus malum nobis esse desinit; imò juxta  
 mentem Christi in bonum convertitur, si  
 impediatur, quòd minùs ille nobis offendicu-  
 lo sit, nòsque ad peccatum inducat. Quan-  
 tum igitur malum erit, ad quod averten-  
 dum medicina adeò violenta suavis videri  
 debet?

I 5

II. S;



Februarius.

II. Si proximo tuo aureum surripuisti, spem salutis adipiscendæ habere non potes, nisi eum restituas. Proximo tuo eripuisti suam innocentiam, puritatem, charitatem, gratiam DEI, & unâ cælum; qua ratione injuriam ei illatam sarcies? quâ veniam sperare, quâ ad æternam salutem aspirare potes, nisi hoc facias? jam verò Christo rapuisti animas ei tam charas, quæ omni ei sanguine sterere; quàm graviter is hanc injuriam feret? an ullam ab eo gratiam sperare potes, nisi tantum ei damnum & jacturam præstiteris. Ingens gaudium, quod servator præsefert de recuperata, quæ aberraverat, ovicula, ansam tibi præbet, de ipsius dolore ob hanc jacturam, ferendi judicium. Credisne futurum, ut DEUS impunitam dimittat injuriam, quæ tantopere ei dolet? vel potius; potesne dubitare, quin vindictas dolori æquales sumpturus sit ab ijs, qui hujus jacturæ sunt authores? & si istius te reum nōsti, quâ frui ulla quiete potes? cur igitur tam parum laboras DEO satisfacere, eumque mitigare?

*Vox sanguinis fratris sui Abel clamat ad me Gen 4.*

III. An non causam habes timendi, ne tibi æquæ ac olim Caino, dicat: sanguis miseri hujus Abelis, hujus infantis, tui ac mei fratris, quem decepisti, quem occidi-



sti, auferens ei cum puritate vitam gratiæ, Februarius,  
 ad me clamat, & vindictam à te lumen-  
 dam petit; possúmne eam ipsi negare: red-  
 de mihi rationem sanguinis hujus inno-  
 centis, quem jugulásti, vel potius, mei,  
 quem prophanásti, cujus virtutem inuti-  
 lem reddidisti: Tu voluisti ostendere, te ma-  
 jore potestate pollere animas damnandi, <sup>sanguinem</sup>  
 quàm ego habeam, eas ad salutem æternam <sup>ejusdē manus</sup>  
 perducendi. Quid ad has exprobrationes re- <sup>tuæ requi-</sup>  
 spondebis? Ah! DEUS ipse non putavit <sup>ram Ezech.</sup>  
 se nimium facere, dum sanguinem, & vi- <sup>3. v. 80.</sup>  
 tam suam immolavit ad servandam ani-  
 mam; & nos vel minimam cupiditatem  
 immolare nolumus ad sempiternam ejus  
 perniciem impediendam. DEUS chari-  
 tatis victimam se obtulit, ut eam ab æter-  
 no Vindicaret interitu; & Christianus  
 eam victimam facit, bruti sui facinoris ut  
 æternas ei misérias invehat. Potéstne hic  
 ad Christi merita posthac adspirare, dum  
 eorum virtutem reddit inutilem?

*Inquire, an non alicui fueris occasio offendi-  
 culi, & statue quantocys id reparare.*

Væ mundo à scandalis. *Matt. 18. o. 7.*

Quantiscunque exemplum malæ Con-  
 versationis præbuit, pro tantis se malis  
 noverit, rationem esse redditurum. *Aug.*

DIES